



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio XLV. Veritas à Christo semper defensa, & prædicta, eum tandem ad necem crucis promovit, ac condemnavit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

animæ securè quiescunt. Hic denique adimpletum est illustre illud  
 Ezech. 30. 31. Ezechielis vaticinium: *Quasi de eis virum, qui interponeret sepem pro terra,  
 ne dissiparem eam.* Ecce post tot annorum millia apparuit ille vir pen-  
 dens in ligno in medio terræ, & portans coronam spineam, hic, in-  
 quam, interposuit sepem, quâ vallavit vineam, Ecclesiam suam, ne  
 Deus dissiparet eam, sub hoc ergo spinoso capite & vivere volu-  
 mus, & mori desideramus, *ut detur nobis corona gloria.*



## CONSIDERATIO XLV.

Veritas à Christo semper defensa, & præ-  
 dicata, cum tandem ad necem crucis promovit,  
 ac condemnavit.

*Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut te-  
 stimonium perhibeam veritati. Jo. 18 37.*

I.

**D**Arius Rex, & centum ac viginti septem provinciarum Domi-  
 nus fecit Magnatibus suis cœnam magnam; & cum obdor-  
 mivisset, disputarunt tres juvenes corporis illius custodes su-  
 per hoc problema: Quidnam in orbe fortissimum, num vi-  
 num, Rex, mulier, an veritas? Scripserunt omnes suam sen-  
 tentiam, scriptamque cervicali Regis supposuerunt. Rex ubi evigila-  
 vit curiosè illorum perlegit opiniones, subrisit, sapientes vocavit,  
 sententiarum rationes audivit, inter quas solemni cum plausu appro-  
 bata est sententia Zorobabelis Judæi: *Super omnia vincit veritas.*

Esdrae 3. 12.

Jo. 14. 16.

Ita est: Super omnia vincit veritas: Hæc Veritas Christus est,  
 qui de se ipso ait: *Ego sum via, & veritas & vita;* Et licet nebula sub-  
 inde manè solem obscurare soleat, eluctatur tamen & omnia illa aëris  
 impedimenta dirumpit, quæ ipsum obvelabant. An non Christus  
 sol justitiæ in vita ac præsertim in passione obvelatus fuit densis ad-  
 versariorum nubibus? eluctavit tamen in die resurrectionis: *Super  
 omnia vincit veritas.*

2. Vo-

2. Voluit Pilatus Judex Romanus, cum ei à Synagoga præsentaretur Christus, & constanter accusaretur, quòd Cæsari rebellis affectasset regnum Judæorum, Christum audire in propria persona: *Tu es Rex Judæorum?* cui sapientissimus Magister ac Servator noster pro tunc respondit: *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* Ad quod inexpectatum responsum Judex admiratus est vehementer, præcipuè cum hoc audiret idioma: *Ut testimonium perhibeam veritati.* Censebat Pilatus Christum esse Philosophum, qui more Philosophico specularetur, & ita de veritate discurreret; unde totus attonitus interrogavit: *Quid est Veritas?* Ecce quàm stulta interrogatio; tanquam Judex supremus in hac causa & tribunali; qui in hoc sanguinario judicio debebat ferre sententiam, ignorat prima principia: *Quid sit veritas.* Ubi notandum: *Cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos, & quidem sine mora, quia noluit audire ulterius responsum.*

Quæro hic, quâ linguâ Pilatus cum Christo locutus sit! R. Mallon. in  
lonius: Romani in latino tantum sermone apud exterarum nationes lo-  
quebantur; Cum igitur tantò fieret à Romanis latina locutio, credi  
vix potest, quòd Pilatus in actu judiciali, in quo pro tribunali sedebat,  
alio, quàm latino sermone sit locutus: Ergo Pilatus in lingua latina  
apprimè erat versatus. Sed siste hic parumper Judex Romane, adhuc  
verbum habeo ad te; tu interrogasti Dominum meum JESUM:  
*Quid est Veritas?* Audi per anagramma responsum, quia Latinus es &  
sensum intelligis: *Est Vir qui adest.* O si hoc Pilatus considerasset, sine  
dubio ad agnitionem æternæ veritatis pervenisset. Considera saltem  
hoc tu, ò mi lector, quis sit ille, qualis, ac quantus, qui pro tua salute  
tam indignam mortis voluit perferre sententiam.

3. Ita est: *Veritas odium parit.* Josephum Jacobi Patriarchæ filium  
considerate; dixit fratribus veritatem, & accusavit eos apud patrem  
de crimine pessimo, idèd ab eis captus, vestibus spoliatus, in veterem  
cisternam projectus, & venundatus est in Ægyptum. En typum in  
Christo JESU, quia constanter veritatem prædicavit, expletum: *Nunc  
autem, ait ipse ad discipulos Judæos, quæritis me interficere, hominem, qui  
veritatem vobis locutus sum.*

Zacharias filius Jojadæ, quia Regem & principes arguebat, eò  
quòd à veritate deficerent, & Dominum ac Deum suum dereliquis-  
sent, ad imperium Regis lapidibus obrutus est; de quo Christus in  
Evangelio: *Quem occidistis inter templum & altare, sub quo typo Chri-  
stus se ipsum indigitavit, propter veritatem prædicatam à civibus suis  
ingratissimis è Nazareth eliminatus: Ejecerunt eum extra civitatem, ut  
eum*

- Jo. 8. 59. eum de monte in saxa præcipitarent; & quando à Judæis in templi atrio lapidibus petitus est: *Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum: JESUS autem abscondit se, & exivit de templo, quia non per lapides, sed in cruce mori voluit.*
3. Reg. 22. 8. 4. Achab oderat Michæam Prophetam, quia dicebat ei veritatem: *Ego, inquit, odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum. Cùmque ulterius pergeret Michæas prædicare veritatem, & alios Pseudo prophetas proclamaret, ecce veritatis propalationis hanc in-*
3. Reg. 22. 24. *quam recepit sententiam & vindictam: Accessit autem Sedecias filius Chanaana, & percussit Michæam in maxillam, & dixit: Méne ergo dimisit Spiritus, & locutus est tibi?* Hanc mercedem & Christus ob liberè prædicatam tulit veritatem in aula Annæ Pontificis: *Unus assistens Ministrorum dedit alapam JESU, dicens: Sic respondes Pontifici? O Veritas, semper pressa, & nunquam suppressa.*
- Judic. 16. 21. Samsonem cùm apprehendissent Philistiim, statim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt. Christo Judæi oculos velarunt, multaque percussione & contumeliis per noctem onerârunt: *Velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus, & interrogabant eum, dicentes: Prophetiza, quis est, qui te percussit. Ecce sic æstimatur, & honoratur veritas; supra quod Hugo Cardinalis: Velant Christi faciem, qui non permittunt sibi ostendi veritatem, neque panarum, neque judicii. O quot sunt tales in mundo?*
- Jerem. 37. 14. 5. Jeremias, quia Regi Judæ & aliis Principibus intrepidè veritatem dixit, virgis cæsus, & acerrimè flagellatus est: *Quam ob rem irati Principes contra Jeremiam, casum eum miserunt in carcerem. Pilatus veritatis osor ad verba illa Christi, quod idèd venerit in mundum, ut testimonium perhiberet veritati, mox tergum illi vertit, & exivit ad Judæos; præcepitque ut flagellaretur mitissimus, & innocentissimus JESUS: Tunc ergo apprehendit Pilatus JESUM, & flagellavit. O Veritas quam misere in hoc mundo immundo tractaris!*
- Jo. 19. 1.
- Thren. 3. v. 14. Idem Jeremias Propheta ait: *Factus sum in derisum omni populo. Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio.* Christus damnatus ad mortem, cùm ei vestes extraherentur, factus est in derisum omni populo,
- Math. 27. 34. repletus item amaritudinibus, quia dederunt ei bibere cum selle mixtum. Et nunquid latronibus ac furibus ad extremum supplicium condemnatis ex insita hominibus commiseratione generosius offerri solet vinum, sed pientissimo Redemptori nostro amarissimum fel oblatum est; causam assignat S. Isidorus Pelusiota: *Implacabili odis Judæi oderant linguam illam, quam talibus ordinaverant amaricari saporibus: memores enim erant, quoniam damnatos illorum mores arguebat. Ecce quomodo Veritas premebatur,*
- S. Isidor. l. 13. hic.

batur, cum moretur in cruce; sed audi publicum Centurionis testimonium: *Verè Filius Dei erat iste.*

Matth. 27. 54.

6. Achior, quia dixit veritatem, & assecuravit ducem Holofernem, quod non posset capere Bethuliam DEO nimis devotam; ubi insuper recensuit magnalia, quæ fecerat DEUS pro filiis Israël, & magnam ejus, imò infinitam esse potentiam, irati sunt omnes magistratus Holofernis, & cogitabant interficere eum, Holofernes autem indignatus vehementer, tradidit eum Bethulitis, & alligatus fuit ad arborem: *Ligaverunt Achior ad arborem manibus & pedibus, & sic vinctum restibus dimiserunt eum, & reversi sunt ad Dominum suum.* Judith. 5. 26. Judith. 6. 9.

O Domine JESU! quia veritatem semper dixisti, & idèd venisti in mundum, ut testimonium perhiberes veritati, quam tandem mercedem recepisti? Ah sævus JESU tortor nuda extitit veritas: Veritas te vinculis tradidit; Veritas tenerrimum corpus tuum columnæ alligavit; Veritas te diris discerpit flagris; Veritas te cruentis coronavit spinis; Veritas te arbori crucis non alligavit tantum, sed & ferreis affixit clavis. O sancta Veritas deprædicata, hæccinè est merces tua? Et quid nunc? Audite S. Thomam Villanovanum: *O nostri saculi perditionem! s. Thom. Vil-*  
*ò mundi pessimam corruptelam! ò mundum mendaciis & adulationibus plenissimum!* lan. tr. de  
*non est Veritas in Mundo, non est qui loquatur verum cum proximo suo. Quid-* Adv. Dom.  
*quid hodie vulgus loquitur, fraus & adulatio est; docuerunt enim linguas suas lo-*  
*qui mendacium: in hac schola exercitati sunt, in hac edocli, ut discerent fallere,*  
*mentiri, adulari, exigua attollere, ex tumulis montes facere, ex culicibus elephan-*  
*tes. Hac civitas, hac affabilitas, & inurbanus est, quisquis fallere, &*  
*mentiri non novit. Hæc & plura Sanctus ille Archi-*  
 Episcopus. Et nunquid verum est?

